34-5-A-5-


IVL. CÆS. ARANTII BONONIENSIS,

PHILOSOPHI AC MEDICI CLARISSIMI, MEDICInæ ac Anatomes in celeberrimo Bononienſium gymnaſio profeſſoris publici,

DE HVMANO FOETV LIBELLVS.

A'

LAVRENTIO SCHOLZIO, SILESIO, *eius diſcipulo, in lucem editus.*



BASILEÆ,

MARTINO SCHILLINGO PATRITIO VRATISL.

NOBILITATE, ERVDITIO-
NE, AC VIRTVTE
CLARISSIMO.

LAVRENTIVS
SCHOLZIVS
VRATISL. SIL.

LIBRVM HVNC
DE FOETV HVMANO,
IVL. CÆS. A-
RANTII,
DD.

Digitized by Google

EPISTOLA AD MARTINVM SCHILLINGVM VRATISLAVIENSEM.

SECTIONIS humani corporis, SCHILLINGE Nobiliſsime, inſignem eſſe tùm neceſsitatem, tùm difficultatem, nemo unquam ſanæ mentis, inficias ire auſus eſt. Neceſsitatem quidem eò, quod hac ſpreta & repudiata plæriq; ægrotantium diem ſuum obeant: qui alioquin priſtinam ſuam ualetudinem recuperare poſſent. Nihil enim magis ad locorum affectorum cognitionem, ſine qua curatio rectè inſtitui, & perfici nequit, quàm humani corporis αὐτοψίαν conferre, tota Medicorum ſchola unanimi conſenſu teſtatur. Diffi-

cultatem uerò eò quod tanta Dei cōditoris ſapientia in hominis fabricatione elucet, ut licet complures excellenti ingenio uiri, multis retrò ſeculis in hodiernum uſq; diem, huius perſcrutandæ cauſa maximoperè inſudarint: nullus tamen unquam, qui ſolidam & perfectam illius ſcientiam aſſecutus ſit: multò minus ſupremā manū impoſuerit, repertus eſt. Hoc conſiderans ſapientiſsima antiquitas, hominem μικρόκοσμον appellare conſueuit. Quemadmodum enim in magno iſto mundo quotidiè quamplurima, quæ ſenſus noſtros quantumuis acres ſuperāt, nobis offeruntur: ita etiam in artificioſę humani corporis ſtructura, quò accuratiùs circa huius inueſtigationem uerſamur: eò plura, quæ antea obruta, abſconditaq; latuerunt, oculis noſtris conſpicienda ſubijciuntur: hincque factum eſt, ut nō pauca ueteribus incognita noſtra tempeſtate ab hominibus

nibus ingenioſis inuenta, literisque poſteritati mandata fuerint.

Hoc ita ſeſe habere, cùm meridiana luce clarius ſit, præclarè admodũ de hominum genere meritus eſſe uidetur, uir clariſsimus, & nũquam ſatis laudatus, D. IVL. CÆS. ARANTIVS, præceptor meus omni cum obſeruantia colendus, qui nulli pepercit labori, omnemq; adhibuit diligentiam, ut rem anatomicam, nouis quibuſdam de FOETV HVMANO obſeruationibus, quas uiginti quatuor annorum ſpacio, quibus munere Anatomici fungitur, primus annotauit, locupletaret. Has, ſingulari erga me amore ductus, cũ ante aliquot menſes Bononiæ agerem, rurſum in manus ſumpſit, aliquot capitibus auxit, & mihi in priuatis ædibus propoſuit, adhibitisq; fœtuũ ſectionibus, quàm accuratiſsimè demonſtrauit.

Cùm aũt obſeruationes iſtas ſummo expectari deſiderio à multis ani-

inaduerterem, & non pauci etiam ex uiris doctis, quibus eas legendas exhibui, me frequentiùs ad editionem illarum hortarentur, publicæ ſtudēs utilitati, eas diutiùs apud me ſupſprimere nolui, ſed in lucem exire permiſi.

Et quoniam benè de repub. literaria promerentes digni ſunt, ut maximis laudibus celebrentur, pluribusque nominibus, ob innumera ipſorum merita, poſteritati commendentur: ego in præſentiarū multa quidē, quę de huius libelli autore, in mediū adferrem, haberem. Verùm cùm non uulgaris ipſius eruditio, ſingularis humanitas, inexhauſta in ſtudijs anatomicis excolendis, exornandisque induſtria, in ſcribendo Hippocratica quædam grauitas, omnibus notiora ſint, quàm à me referri poſsint. Summi illius uiri laudes nunc non perſequar: ſed potius Deum ardentibus uotis precabor, ut eum quàm diutiſſimè

ſimè ſaluum, & incolumem conſeruet, tueat, & regat: ut laboribus ſuis indefeſsis, plurimis adhuc hominibus uſui eſſe queat.

Cur autem Libellum hunc, SCHILLINGE Nobiliſsime, tibi nominatim dicare, & ſub felicibus nominis tui auſpicijs, in lucē prodire uoluerim, multa in cauſa fuerunt: præcipuè uerò tū̃ incredibilis uirtus tua, ſingularis eruditio, morum integritas, & nō uulgaris prudentia, cum ſumma humanitate coniuncta: tùm uerò tuorum in me beneficiorum & magnorum, & multorum memoria. Tantum enim me tibi debere exiſtimo, quantum perſoluere difficile admodùm mihi eſt, ut tamē aliquo ſaltem officij aut gratitudinis genere, meum erga te animum, fidem, & obſeruantiam teſtatum facerem, has Iul. Cæſ. Arantij obſeruationes, ſub tuo nomine in hominum manus uenire uolui. Neq; ueritus ſum ne opuſcu-

lum hoc, quod perexiguum eſt, ſpernas, cùm hoc à te, qui cuncta boni cõſulis, alieniſsimum ſit, & te non lateat Gręcũ illud: χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ, hoc eſt, comes exiguis eſt gratia rebus.

Sed ut finem tandem faciam, à te etiam, atque etiam pro noſtra ſumma coniunctione, proque tua in me perpetua, & maxima beneuolentia, maiorem in modum peto atq; contendo, ut me, quem in tuorum amicorũ numerum adoptaſti, diligas, meq; tibi quàm commẽdatiſsimum eſſe patiaris. Quod ſupereſt, te æterno Deo commẽdo, & ab eo omnes actiones, & conſilia tua fortunari ex animo cupio. Benè & feliciter uale: & me, ut facis ama. Data Baſileę Rauracorum, die XXIIX. Iulij, Anno CIƆ.IƆ.LXXIX.

Tui cum primis & amans & ſtudioſus.

Laurentius Scholzius Vratiſlauienſis, D.

P. MELISSI SCHEDII FRANCI, P. L.

MELOS,

AD LAVR. SCHOLZIVM SILESIVM MED.

STROPHE.

DÆDALAS *artificum manus*
Cùm ueterum, tum recentum,
Animoſáq; ſigna miramur admodum,
Siue coloribus illa picta,
Siue ebore exacta affabrè
Indico, lapideúe Pario,
Vel ære Cyprio, alijsúe metallis.
Cui non notus Apelles ille Cous,
Aut Parrhaſius Epheſinus, aut
Zeuxis? Pheidiam quis ignorat?
Quem Praxitelis, Scopæq; ſolertior
Induſtria, famáq; latet? quem catus
Lyſippus, Calamisq; non obſtupe—
Facient? cui deniq; non arriſerint,
Et Mentoris egregiæ formæ, & elegãtes
Myos erronibus fibris acanthi?

ANTISTROPHE.

CErtat antiqua, feracius
Ingeniorum bonorum,
Superare ſagacis æuum artis æmulum
Tot monumenta, ſupraq́ uires,
Tendere neruos. nam quoq; &
Peruicax hominis animulus
Traſcendere polos geminos, auet (idq́ue
Haud raro) ſimilis fingi deorum.
Eſt hoc quidem aliquid, ut arduum,
Mortaliq; præditis captu
Sublimius. Exſtat, exſtat argutius
Iouæ ſimulacrum opificis, maximè
Quem mireris, homuncio: quomodo
Generetur, quomodo cœleſtem hauriat,
Viuax animã, teneræ ſub parentis aluo,
Latitans, menſtruaq́ luce creſcens.

EPO-

EPODOS.

NAturæ peritiſsimo,
Occultiorumq́ plurimorum ſcito,
Age mi SCHOLZI fer acceptam
ARANTIO ſingularem
Fœtuum indaginem.
Ille cæci labyrinthum regni,
Embryonis domicilium, uigil
Corruſpatus, aperuit hortuli intera
Clauſtra, diutiſsimeq́ reconditas
Notitias in luce locauit.
Bononienſes hoc ter & quater beati
Machâones, hoc beatæ puerperæ.
Redeat felicitatis huius
Pars ad noſtrates aliquantulas
Gratias ARANTIO ſempiternas
agent.

Senis Hetruriæ,
Anno 1579.

Digitized by Google

IN LIBRVM IVL. CAES. ARANtij, de Fœtu humano, editum à LAVR. SCHOLZIO Sileſio. V. CL.

FOetũ hominis docto dũ forma ARANTIVS
Ingenij fœtum prodidit ipſe ſui.
Prodidit: at nimiũ cupidis dũ parturit auſis: (ore:
In lucem mutilo corpore fœtus ijt.
Quid faceret? rurſum exploratis concipit aſtris:
Pronubaq́; huic forſan Iuno fauebit, ait.
Nec penitus luſit timidum ſpes uana parentem:
Nobilior primo quippe ſecundus erat.
Hauſtorum ſed enim genitor memor ante laborum:
Quam pareret, ſatiùs credidit eſſe, mori.
Aſſeſtricem operam dum tandem SCHOLZIVS offert:
Et natum ad uitam cum genitore uocat.
O' felix genitor, ſobolesq́; beata: ſed iſta,
Illoq́; ô SCHOLZI dextra beata magis!
Quippe tuo effectum eſt, dextra aurea, munere, ne ceu
Primus abortus erat: poſthumus iſte foret.

Matthæus Vvackher, Conſtantinus D.

CA

CAPITVM INDEX.

Cap.1. De Muliebris uteri ſubſtantia. pag. 5
2. De Vteri cotyledonibus ſeu acetabulis. 8
3. De Vteri uenis & arterijs. 12
4. De Sanguine menſtruo. 20
5. De Semine nuper in uterum iniecto. 26
6. De Generatione et uſu uterini iecoris. 31
7. De Vaſorum umbilicalium origione. 39
8. De Vaſorum umbilicalium extra umbilicum progreſſu, & eorundem per uterinum iecur diſtributione. 45
9. De Vſu longitudinis uaſorum umbilici. 53
10. De Membranis fœtũ obuoluentibus. 59
11. De Vraco. 72
12. De Situ fœtus in utero. 77
13. De Excrementis fœtus in utero contenti. 86
14. De Vaſorum cordis & iecoris coniuntione. 91

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

84

Digitized by Google

1

85

IVL. CÆS. ARANTII, IN LIBRVM DE HVMANO FOETV,

PRAEFATIO.

SCRIPSERAM annis ab hinc quindecim Opuſculum, DE HVMANO FOETV, in quo nõnulla, antiquis, & recẽtioribus Anatomicis ignota, in grauidis mulieribus obſeruata, expoſita fuerant. Cùm autẽ hyeme proxima in publica Anatome totus eſſem, ac circa eius explicationẽ, atque adminiſtrationem uerſarer: ecce mihi offertur elegãtiſsimum cadauer prægnantis mulieris, quę abſolutum fœtum in utero habebat: res quidem toti Bononienſi gymnaſio, ut ad eam uſq; ætatem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nunquam uiſa: ita etiam ſummopere expetita, mihi uero præ cæteris opportuna, quod occaſio oblata eſſet, eorum, quæ in nuper edito opuſculo ſcripta fuerant, ueritatem omnibus patefaciendi. Siquidem nihil magis difficile quàm ſemel conceptã, & ab omnibus ſuſceptam opinionem exuere, nouamq́ introducere.

Cùm autẽ ſingula, quæ ad prægnantem uterum, eiusq́ particulas, & fœtum contentum attinẽt, auditorũ oculis ſubieciſſem, ſumma cum omnium admiratione (ut fit in re noua) uera me ſcripſiſſe facilè perſuaſi. Ipſe interim oculatior, diligentiorq́ effectus, multa confirmaui, in quibuſdam à priori ſententia (ipſo alliciente ueritatis ſtudio) non parum receſſi, nõ pauca inſuper inuentis addidi, eadem

ſæpius,

85

ſæpius, ac diu reuoluens.

Non defuerunt poſtea adhunc uſque diem plura prægnantium corpora, ſummo rerum opifice cœptis fauente, ut magis abſolutũm opus denuò in lucem prodiret, & ſingula melius perquirere, & confirmare liceret. Adde, quod abortus interim quamplures, & mortuos in utero fœtus, una cum ſecundis extractos, diligenter intueri, ac perpendere potuerim, quò factũ eſt, ut auditoribus meis id ſummo ſtudio poſtulãtibus, in ipſorum gratiam tãdem decreuerim in hanc denuò arenam deſcendere, cũ ut rei Anatomicæ ſtudioſis pro uiribus prodeſſem, remq́ ipſam magis patefacerem, tùm ut poſteriores, ad ea, quæ circa noſtrę generationis primordia adhuc latent, ſtudiosè exploranda, excita-

rem: quæ omnia, ut plana euadãt, ſuperfluis conſultò prætermiſsis, & ijs præcipuè, quæ cæteri Anatomes profeſſores, optimè deſcripſerunt, ne actum agere uidear, ſingula eo ordine proſequar, quem res ipſa poſtulare uidetur.

CA-

CAPVT I.

DE MVLIEBRIS VTERI SVBSTANTIA.

MVliebris uteri, uel matricis ꝓpria ſubſtantia, quamuis in nō prægnāte alba, & membranea, uideatur: in utero tamen habentibus plurimùm à mēbranea natura diſferre conſpicitur, cui ſimilem in toto corpore ſubſtantiam reperire minimè liceat, eſt enim fungoſa, ſpongiæꝗ maximè ſimilis, non tamē ſimplex,

ſed in multos cortices, fungo-
rum quorundam modo, qui
in arboribus naſcuntur, facilè
diuiſibilis, & foraminibus,
ſpongiarum, uel pumicis mo-
re peruia, impropriam tamen
extrinſecus obuoluentem tu-
nicam, peritonei ſobolem, ex-
cipio.

Huiuſmodi autem ſubſtan
tiam à ſapientiſsima natura u-
tero tributam fuiſſe arbitror,
ut ſanguinis, & ſpirituum co-
piam, pro fœtus uita, & nutri-
tione, facilè contineret: adna-
tæq; utero (ut dicemus) fun-
goſæ carni, roris in modum
ſuggereret, ac ſubminiſtraret.

Tan-

88

Tantumque abeſt ut tenuiori ſubſtantia præditus ſit, ut etiã multò craſsior ob humorem imbibitum conſpiciatur. Qui enim omnibus numeris abſolutum fœtum intus habet uterus (plus tamẽ, & minus, pro mulieris ætate, & temperatura) duorum penè digitorum craſsitiem æquat, & pręcipuè circa elatiorẽ fundi ipſius partem, in quam uterina uaſa coëunt, uterinumq́ iecur (ut dicemus) adnaſcitur, ac cohæret, quod ad ſubſtantiam eius attinet ſic habet.

CAPVT II.

DE VTERI COTYLEDO-nibus, *ſeu acetabulis.*

HVnc ipſum uterum, grauida p̃ſertim muliere, cotyledonibus, uel acetabulis quibuſdã præditum eſſe, ſunt qui exiſtimẽt, diuini Hipp. teſtimonio perſuaſi: quapropter Anatomicorum plæriq; diffusè admodùm hanc rem pertractarunt, de ſolis nominibus diſceptantes, nec quicquam certi conſtituerunt: ex eorum tamen ſcriptis colligitur, mulieris grauidę uterum rarò introſpexiſſe. Sed aliorum placitis conſultò

tò prętermiſsis, mihi ſatis erit, ſi antiquorum, ſeruata reuerētia, & autoritate, ea explicue=ro, quæ à me ſæpius muliebrē uterum conceptu turgidum adminiſtrante, obſeruata fue=rūt. De his acetabulis * uerba faciens Galen. hæc habet: ad=de quod acetabula etiam hoc modo firmum uinculum ad " uuluam efficiuntur, quamuis " nonnulli hominis uuluam a= " cetabulis carere dicant: eſſe e= " nim aiūt in bobus, capris, cer= " uis, alijsq́ eiuſcemodi anima= " libus, corpora quædam mol= " lia, ac mucoſa, quorum forma " acetabulo, hoc eſt, herbæ cym "

** De diſſectiōe uuluæ circa finem Ariſt. 3. de hiſt. 1. in ſolis cornutis concedit cotyledones. Idē 2. de Generatione animaliū 5. 7. de hiſt. 8.*

„ balitidi ſimilis ſit: unde etiam
„ nomen accepêre. Hipp. tamẽ
„ inquit, quęcunq; corpore me
diocriter affectæ, &c. Ex his
uerbis, facilè colligi poteſt,
Gal. de cotyledonibus dubiũ
fuiſſe, & potiùs auctoritati
Hipp. ſubſcripſiſſe, quòd ni-
hil perperàm ab eo ſcriptum
crediderit, quàm quòd pro-
priam ſententiam protulerit.

Sed ut ea explicẽ, quæ ſen-
ſu cõprobari poſſunt, equas
ego prægnãtes, boues, canes,
ſues, pecudumq; genus, præ-
ter ipſas mulieres aliquando
ſecui, ut certior euaderem, in
quibus nam eſſent diſsimilia
inter

inter ſe, & à mulieribus differ
rent: tandem in ouillo tantũ,
& caprillo genere, acetabula,
ſeu cotyledones obſeruaui,
antiquorum deſcriptioni ad
unguē reſpondentes, & quod
uoce exprimitur, penitus re-
ferentes.

Reliqua uerò animalia, quã-
uis in plæriſq;, quò ad uterũ
attinet, inter ſe differant: nihil
tamen unquam mihi, uel cu-
rioſè intuenti, reperire licuit,
quod acetabuli, uel cotylę, effi
giem præſeferret, in muliebri
præſertim utero, in quo tan-
tummodò foramina, & rara il
la ſuperius deſcripta uteri ſub
ſtan-

ſtantia, conſpiciuntur; à quibus foraminibus, cùm uaſorũ uteri oſcula nõ longè abſint, acetabulorum, ſeu cotyledonum nomine, quodammodò dignari poterũt, quemadmo-
5. Aph. 45. dum Galen. de Mente Praxagoræ ſcriptum reliquit. Atq; hæc de acetabulis, ſeu cotyledonibus dicta ſufficiant.

CAPVT III.
DE VTERI VENIS, & arterijs.

Qvatuor uaſorum paria in uterum diſtribuuntur: duo ſcilicet deſcendentia: duo uerò aſcendentia. Quę deſcendunt, duæ

uenæ

uenæ ſunt, & totidem arteriæ, quæ etiã ſeminales appellantur, quarũ dextra à cauæ trunco exoritur: altera ab emulgẽte ſiniſtra explantatur, quod in eum uſum factum fuiſſe arbitror, ut maiori ſeroſitatis copia abundans ſanguis, qui in uterinum iecur diſtribuitur, eius copioſioris uehiculi interuentu, ab umbilicalium extremis, ac tenuiſsimis radicibus facillimè attrahatur, in omnemq́; embrionis particulã perueniat: quemadmodũ in ipſo iecore accidit: nam à ſanguinis maſſa non priùs ſeroſitas ſeparatur, quàm quod in cauam

cauã effuſa è ramis portæ ma-
teria, peruenerit. Arteriæ ue-
rò, ab aortæ trunco, infra re-
nes principium ſumunt.

Horum uaſorũ minor por-
tio, utriq́ teſti ad ſeminis gene
rationem offertur, maxima ue
rò ad uteri elatiorem ſedem,
hinc inde delata, per eam di-
ſtribuitur. Harum uenarum
amplitudo in grauidis profe-
ctò admirabilis eſt: nam perfe
cto puero, emulgẽtibus, & di-
midiæ ferè cauæ magnitudi-
nem æquant, ad priſtinam ta-
men anguſtiam, contractæ à
partu redeunt, ut proportio-
natum utero, & nouo conce-
ptui

72

ptui quantitate, alimentũ ſup-peditent.

Illud tamen prę cæteris ma-iorem admirationem adferre poteſt, & tanquam inauditũ, in ſenſu comprobetur, penè incredibile, quod in quibuſ-dam, non tamen in omnibus, à prima formatione, huiuſmo di uenæ, antequàm in uterum perueniant, arterias ſibi con-iuges intra ſe ſuſcipiant, ut ar-terioſum ſimul cũ uenoſo ſan guine ad uterum deferant; ſed harum uenarum tunica inte-rim, utpotè ualdè diſtenta, te-nuiſsima conſpicitur.

In quibus uerò uenæ ab ar

terijs

terijs ſeiunctę ad uterum per-
ueniunt, cùm ad ipſum perti-
gerint, uenoſo, & arterioſo
ſanguine in uteri rarã ſubſtan
tiam effuſo, inuicẽ permiſcen-
tur, caroq́ illa informis, quam
placentam aliqui, nos iecur u-
teri appellamus, à conceptu
primùm (ut dicemus) genera
tur, ut in eam umbilicaliũ ua-
ſorum radices diſtribuantur.

Alterum uenarum, & arte-
riarum aſcendentium coniu-
gium, ex interna coxendicum
ſede, ad extrema oſsis ſacri la-
tera, à uenæ cauæ, & arteriæ
magnæ præcipuis ramis ex-
plantat̃, non longè ab ijs, quæ
inguina

inguina percurrunt, quę hinc inde recurrẽtia, & reflexa, per exterioraq́; ſinus muliebris latera, uariè diſtributa conſcendunt, ipſiq́; ſinui, uel muliebri pudendo, ac uteri deinde orificio, in tranſitu, aliquas ſo boles impertiũtur, ad eiusq́; fundum tandẽ conſcendunt, non longè tamen ab exortu, arterias uenæ, aliquando ſuſcipiunt, ſæpius tamen diſpertitæ uſq; ad deſcendentium diſtributionem aſcendunt, gemina toq́; corpore, cùm illis non ſolum coëunt, & continuantur, quę ſuo reſpondent lateri, ſed dextræ partis uaſa, cum ſini-

ſtris adeò commiſcentur, ut uenæ omnes maxima naturæ ſolertia, unius uenę inſtar ſint, quod non ſolùm in utero ue-ritatem habet, ſed in uniuerſa humani corporis fabrica. nã [illegible]æ, quæ per uentres di-[illegible]ouuntur, cum externis fiũt continuæ, dextri lateris cum ſiniſtris, ſ[illegible]periores cum infe-rioribus, ac demum profun-dę cum ſuperficialibus.

Huius conſenſus, & coitus occaſione, mulier etiam in u-tero habens, per uaſa aſcẽden tia, muliebri ſinui, uel puden-do (ut dicebamus) attigua, & per illud diſtributa, facilè à quo-

9/41

quocunq; humore circa uterum exiſtente expurgari poteſt, uteri etiã oſculo ad amuſſim conniuente: quibuſdam enim multo ſanguine refertis, circa initia conceptus, menſes expurgari, parcè tamen, citra abortus diſcrimen, contingit: cùm eo tẽpore paruulus adhuc fœtus exiguam alimenti copiam requirat.

Horum uaſorum coniunctio, detracta impropria uteri tunica, quòd maximè turgeãt, nulli non eſt conſpicua. Hac ratione ſanguis utero ſubminiſtratur, in ſana, & non prægnante, ut tanquam quid ſola

quantitate peccans, ſingulis menſibus, certis quibuſdam circuitibus expurgetur, in grauida uerò, ut puero alimentũ præbeat: quò fit, ut quæ non expurgantur, ſteriles, & conceptui ineptę exiſtãt: eò quod uaſa uteri, uel obſtructa ſint, uel nihil ſuperflui ſanguinis in mulieris corpore reperiatr, quod in genituræ alimentum abire poſsit.

CAPVT IIII.

DE SANGVINE *Menſtruo.*

MEnſtruũ ſanguinem, qui ſtatutis quibuſdã circuitibus à mulieris

ris utero expurgatur, ſunt qui exiſtimēt prauum eſſe humorem, diuini Hipp. non ſatis intellecta ſententia decepti. cùm inquit (& radit terram, ueluti acetum, & mordet ubicunq; mulierem cōtigerit, & uteros exulcerat) Nō enim animaduertunt, eo loco Hippocr. de morboſa Muliere uerba facere, cū paulò antè de menſtruo eius, quæ ſanitate fruitur, hāc ſententiam ſcribat (procedit autem ſanguis, uelut à uictima, & citò congelatur, ſi ſana fuerit mulier) cui ſentētiæ Ariſt. his uerbis* ſubſcripſit. (& quæ menſtrua uocantur erū-

Primo de morb. mulier.

** 7. de partib. animal. ſecundo.*

 punt,

punt, quod ſanguis quaſi re-
cens occiſi animalis eſt.)

Horum grauiſsimorum ui
rorum auctoritate, ſatis con-
ſtat, menſtruum ſanguinem,
in muliere ſana, benignum hu
morem eſſe, & ſola quantitate
peccãtem: ſapientiſsima enim
natura ſpeciei propagãdę ma
ximè intenta, probum ſuccũ,
quantum in ipſa eſt, geniture
ſuppeditat, quamuis interdũ
eadem uia in morboſis malos
humores, ex accidenti, excer-
nat, modò crudos, & pituito-
ſos, hinc alba menſtrua, non-
nunquam ſeroſos, bilioſos, &
acres, inde muliebre proflu-
uium,

uium , quod uel ipſo conta-
ctu exulcerat,id tamen accidit
præter naturæ inſtitutũ. Huic
rei argumento ſunt, appetitus
in prægnantibus corrupti, &
alba menſtrua, quibus graui-
dæ non raro affliguntur: Si e-
nim acciderit mulierem, malo
aliquo humore refertam, con
cipere, non multos poſt dies,
nauſea, uomitu, corruptoque
appetitu, quem Picam uocãt,
laborabit. Satius enim pru-
dentiſsimæ naturę uiſum fuit,
matris uentriculum afficere,
uomituque noxium humorem
expellere, quàm in uterũ, una
cum ſanguine, cum fœtus di-

ſcrimine deferri, crudos autẽ, & craſſorum humorum partes, per pudendi uaſa uterinis continua, expurgare, quò fit, ut gerentes uterum, ſi nõ benè ualeant, ob uentriculi præcipuè imbecillitatem, albis mẽſibus frequenter infeſtentur, quod quidem naturæ beneficio fieri arbitrandũ eſt, ne crudus ille humor, laudabili, & puriori fœtus alimento, permiſceatur. Sin autem mulier eadem denuò conceperit, ac benè ualuerit, maliſq; humorib. minimè fuerit referta, nullam nauſeam, uomitum, picã, uel uteri fluorem experietur, nec

nec ab ullo cibi genere abhorrebit.

In quibuſdã uerò alijs conceptibus parum, uel nihil corrupto appetitu, interdum maximè afficietur. Quod non aliundè accidere arbitrandum eſt, quàm ex humorum totius corporis præcedenti conceptu, diſpoſitione, quorũ malitiã, uis ipſa expultrix, aliqua uia, quamuis moleſta, abijcere potius eligit, quàm in puerum diſpenſare. Tanta tamen eſt aliquãdo cachexia, uel cacochymia in muliere, ut in fœtum, mali ſucci partẽ, neceſſe ſit diſtribuere, hinc grauiſsimi

mi infantium morbi, ob contractum in uentre matris malum habitum, â quibus quamuis euadant, mala tamen, quãdiu uixerint, ualetudine laborant.

CAPVT V.

DE SEMINE NVPER *in uterum iniecto.*

QVamprimũ uiri ſemen à benè affecto utero ſuſceptũ fuerit, muliebri commiſcetur ſemini, ut ex ambobus una, & eadẽ uis ac natura conſtituatur, uereq́ꝫ hic cõceptus, aut genitura dicitur, utero ſcilicet circa ſemen contracto, ac

exqui-

Digitized by Google

exquiſitè clauſo, quod magna ex parte deſinentibus menſi= bus, non raro incipientibus, aliquando etiam intermedijs temporibus fieri ſolet, ſuſcita= ta poſtmodum uis illa à calo= re uteri, ſpiritus in ſemine la= tens per materiam illã diſcur= rit, rudiq́; quodammodò, pi= ctoris inſtar ſeminales omnes partes delineat, ac eiuſdẽ diſ= ſimilares partes ſecernit, in= ſtrumenta tamen præcipuè, uenas ſcilicet, arteriasq́;, effin= git, per quæ ſanguis, & uitalis ſpiritus, ab utero, pro ſeminis uita, & alimento, deferri poſ= ſint: quemadmodum enim fa bæ,

bæ,uel tritici granum in terrã ſuccoſam proiectum,eiuſdẽq́ humore turgens, incluſo ſpiritu per eius ſubſtantiam diſcurrente, radices ſibi primò, quaſi umbilicalia uaſa prępa rat, ut ijs per humum uariè di uerſis alimentum alliciat,quo & augeri, germinareq́ poſsit: non aliter in ſemine in uterũ ſuſcepto,radices ab umbilicalibus,cùm uenis, tùm arterijs diſtributæ, alimentum (ut dicemus)attrahunt: quicunque enim alimẽto opus habet, inſtrumenta, quaſi manus porrigit, ad illud ſuſcipiendum, quod ueris tempore in popu

lira-

li ramis ab arbore reſciſis, terrę que infixis, maximè perſpicuum eſſe poteſt.

Pręterea ſanguinis genitura antea non fit particeps, quã canaliculi, & inſtrumenta illa efformata fuerint, quæ arteriarum, & uenarum nomine appellantur. Nam ſagax, & prouida natura: nihil ſine ratione molitur, ſed more artificis, primò inſtrumenta parat, quorũ opera propoſitum opus exequatur, eodemq́ꝫ tempore uis ipſa formatrix ſpiritu ipſo (ſitne unum, & idem uis illa cum ſpiritu, nunc non perquiro) dum organa dicta parat, atq́ꝫ admi-

adminiſtrat, reliqua etiã mem bra, quæ ex ſemine ortum habent, ſimul delineat, ad humanamq́ formam diſponens circumſcribit, ſucceſsiuè elaborans, ac præpoliens, donec ad abſolutam formam perduxerit, primas itaq́ omnium partium, tanquam inſtrumenta ualdè neceſſaria, uenas generari, & arterias omnes, rationi eſt maximè conſentaneum.

Harũ rami (ut dicetur) ſunt ipſę umbilicales, ut per ea uaſa per uterinum iecur uariè diſperſa (non ſecus ac in ſemine per radices) alimentũ pro genituræ nutritione attrahatur,

non

non minùs etiam & membra-
nas omnes efformari eſt ueri-
ſimile, quibus membra cũ nu
tritionis, tum ſpiritualia, nec
nõ & cerebrum ipſum obuol-
uantur, ſimul etiam & tuni-
cas, quæ toti genituræ inuolu
crum præbent.

CAPVT VI.

DE GENERATIONE ET *uſu uterini iecoris.*

EOdemmet tempore, quo ſpiritus ſemini humanam formã tribuit, ſimul & uaſa uteri benè diſpoſita, ſanguinem in ſpongioſam uteri ſubſtantiam irrorando effundũt, eoq́ concreſcente,

ſcente,mollis quædam,& fun
goſa caro,lienis ſubſtantiæ ſi-
milis,uteri internæ ſuperficiei
adnaſcitur,quę indies, ſangui
ne, & ſpiritu copioſius ad ute
rum affluente,augetur, carni-
q́ue huic ſuggerit, ut propor-
tionatu augeſcenti fœtui ali-
mentum ſuppeditet. Nam
quemadmodum portæ rami
per iecoris carnē diſperſi, ma-
teriam ſanguificationi idoneā
deferunt, qui à cauæ poſtea ra
dicibus ab ipſa iecoris carne
attrahitur,non aliter in hoc u-
terino iecore contingit, nam
in oppoſitā huius carnis par-
tem, quę uteri cauum reſpicit,
genitu-

geniturǽq; eſt cõtermina, tan quam in benignam tellurem, uaſorum umbilicalium extrema radices iaciunt, quibus hu mor, & ſpiritus, pro fœtus uita, & nutritione, attrahantur, ſicut à carne iecoris (ut diceba mus) per cauæ radices.

In hac uerò attractione, uel exuctione illud admiratione omnem ſuperat, quod nullo habito uenoſi & arterioſi ſan guinis diſcrimine (cum uterq; in uterino iecore permiſceat) arteriæ ſpirituoſum, uenoſum uenæ, alliciant, eam fortè ob cauſſam, ut ſanguini uenoſo permixti ſpiritus, illum atte

nuerint, purioremq́; efficiãt, fœtusq́; nutritioni magis idoneum. Addé quod etiam faciliùs ab umbilicalium tenuiſsimis capillamẽtis exugi queat. Vt enim Lienis carni multi ſpiritus, per grandem arteriæ ramum ab aorta propagatũ; communicantur, qui per eam diſcurrentes terreſtre illud alimentũ rarefaciant, ne obſtructis uijs deſtinatum ſibi munus obire, ac nutriri prohibeatur: non aliter in carne utero adiacente accidit, eoq́; maximè cùm ex ea materia, quæ attrahitur, præcipua corporis membra ſuum carneum principium

cipium eſſent habitura: quod autem in hac elaboratione minus eſt utile, illud in eius carnis nutritionem conuertitur, quę iecoris officio ad tempus fungitur, purius uerò pro fœtus alimento allicitur. Quod ita eſſe manifeſtũ uidetur: cũ uteri ſubſtantiam, & umbilicaliũ radices, dicta caro, media interiaceat, ut nulla ratione uenæ, uenis, arterijsq́; arteriæ, non ſolùm continuæ, ut cæteris uiſum eſt, ſed neq; cõtiguæ eſſe queant.

¶ Hanc carnem utero connatam, uterini iecoris nomine, ab uſu, & ſimilitudine, inſigni-

ui, cum à quibuſdam à forma ipſa Placenta fuerit appellata: ouali enim, uel rotũda eſt prę-dita, eiq; tantum uteri parti ad naſcitur, in quam uaſa coire diximus: partim enim elatiori, partim uerò anteriori ipſius matricis parti, quæ mulieris peritonæum reſpicit, cohęrere ſolet.

Carnea hæc ſubſtãtia, quouſq; fœtus ad maturitatẽ peruenerit, non aliter augetur, quàm uaſa, quæ per ipſam diſperguntur, ut ꝑ eius auctione, parem alimẽti copiam ab utero ſuſcipiat, & umbilicalibus, tribuat. Fine autem ade-

pto,

pto, tanquam inutilis, una cũ annexis membranis fœtũ obuoluentibus, ipſiſq; umbilici organis, à partu reijcit, ſecundusq; partus nuncupari ſolet; qui ſi in utero relictus fuerit, tum ob ſui corruptionem, tũ propter remoratum puerperium, grauiſsima (ut pſpicuũ eſt) ſymptomata, ipſumq; interitum adfert; ſed in perfecto partu, maturi fructus in modũ, magna ex parte, facilè ab utero recedit: in abortu autẽ, ut immaturo fructu difficillimè ſeparatur: ſecundæ uerò ipſæ, nullibi utero ſunt connatæ, quàm carnis huius inter-

uentu, quàm obſtetrices, ſta-
tim à partu, hiante, ac patefa-
cto uteri orificio, manu ad u-
teri uſque fundum inſinuata,
umbilici relicta portione, qua
ſi funiculo eas deducente, tu-
to, ac leui negotio extraherẽt,
quod ſæpius admoneo, mi-
nusq́ laborarẽt puerperæ ex
partu defatigatæ, ut ſecundas
parerent, illæq́ præ cæteris, à
quibus difficiliùs abſcedunt,
propter uteri ſicciorem tem-
peraturam. Sed ex his iã con-
ſtare poteſt, quis nam ſit ſpõ-
gioſæ huius carnis, quandam
placentę effigiem habentis, ac
uterini iecoris, uſus.

CAPVT VII.

DE VASORVM VMBI- *licalium origine.*

GAlenus lib. de Diſſe-ctione uteri, de uaſo-rum umbilicalium o-rigine ita ſcribit, (uaſi quod in corio eſt finis illius, quod in uuluam emerſit initium fa-cit, ut duo hæc unum eſſe di-cere quiſpiam poſsit, oribus enim uniuntur, atque alterum ab altero, uena inquam, à ue-na ſanguinem arteria, ab arte-ria ſpiritum haurit) quam ſen-tentiam pluribus in locis cõ-probauit, quamuis ſexto de Hipp. & Plat. decretis uidea-tur

15. de Vſu partiũ cap. 14. de for. fœtus. 6. de

Hipp. & Plat. placitis.

tur contrarium ſenſiſſe, animaduertendum tamen eſt de Traſiſtrati ſentẽtia eo in loco Galen. locutum fuiſſe, cùm ad eius ſermonis finem propriã ſupradictam ſententiam confirmet. Huic ſententiæ non ſolũ Aëtius autor grauiſsimus, ſed recentiores etiã anatomici omnes ſubſcripſêre. A' communi tamen hac opinione, cũ rationi, auctoritati, ſenſuique aduerſetur, ueritas ipſa, me, uel inuitum reuocat, rationi quidem, quòd uaſorum tunicę, cùm ſeminales ſint, ab utero, ipſiusque uenis, & arterijs principium ſumere nequeãt: at ſi

105

at ſi inde exoriri nõ datur, qua ratione mẽbranea organa oſculis inuicem coniuncta, & proportionata cohærebunt? auctoritati uerò, quoniã Philoſophus contrarium atteſtatur. Senſui autem repugnat, eò quod uaſa ad internã uteri membranam ſuis oſculis non perueniant, præterea inter uteri ſubſtantiam, & umbilicaliũ ramificationes, uterini iecoris caro media interiecta eſt: quòd autem alicui inſtrumento, uel corporis particulę futurũ eſt principium, illi continuum eſſe neceſſe eſt. Adde, quòd ſi cõtinua effecta eſſent 2. de Generat. animal 5.

uaſa hæc, ſequeretur in ſingulo partu continuitatis uaſorũ diuulſio.

Illud tandem hanc uaſorũ unionẽ minimè concedi poſſe atteſtatur, quod nulla ſit uaſorum uteri cũ innumeris umbilicalium radicibus, & capillamentis, proportio, eoq́; magis quod uteri uaſa per membranæ propriam ſubſtantiam potius ſanguinem effundant, quàm quod ad internã ſuperficiem ſuis oſculis pertingant. Cùm igitur huiuſmodi uaſa ab utero propter dictas rationes originem habere nequeant, aliunde eſt perquirenda, quod

uide-

uidebimur aſſecuti, ſi organa corporis præcipua inuenerimus, à quibus dependent, & explantantur, quibusq́ꝫ continua ſunt. Nihil aliud umbilicalis uena eſt quàm caudicis uenæ portæ ramus inſignis, ab eadem exoriens cum primùm à iecoris cauo prodierit: qui quidem ab exortu ad extremam uſq́ꝫ iecoris circumferentiam deſcendens, excul=ptã ſibi habet in iecoris ſubſtantia cauitatẽ, ab eiusq́ꝫ carne aliquandò obducitur, plerunq́ꝫ per quandam ſciſſuram egrediens ad umbilicum pertingit, & interim peritonei internæ

ternæ ſuperficiei innititur, do-
nec umbilici ſedem attigerit.

Duæ uerò umbilicales ar-
teriæ, magnæ illius lumbos
percurrẽtis ſunt ſoboles, quæ
ab eadem aorta, iuxta oſsis ſa-
cri elatiorem ſedem, bifurca-
tam originem ducunt, quæ
hinc inde reflexæ, ueſicæq́; la-
teribus adhærentes, ac cõne-
xæ, ad ſuperiora recurrunt, cũ
uerò ſupra ueſicæ fundũ per-
uenerint, peritonæo innitun-
tur, illicq́; alligantur, iamq́; ad
umbilicum delatæ, dextra ſi-
niſtræ coniungitur, ac ſimul
cõueniunt, acutum angulum
efformantes, ut ſimul cum ue-

na,

nà, à iecore (ut dictum eſt) deſcendente, ab umbilico egrediantur, ut eodem itinere ad diſtributionem perueniant.

CAPVT VIII.

DE VASORVM VMBILICALIUM *extra umbilicum progreſſu, & eorundem per uterinum iecur diſtributione.*

QVum primùm uaſa hæc (ut diximus) explãtata fuerint, & ab umbilico egreſſa, uena ipſa, modò indiuiſa ad diſtributionem uſq; permanet, modò in duas diuiditur, ſimulq; eum duabus arterijs, duplici membrana obuoluta, per triũ, uel

quatuor

quatuor ulnarum longitudi-
nem producuntur, uena inte-
rim in hoc lōgo itinere uarie,
capreolorum uitis, hæderęue
modo ſerpit, & uaricū in mo-
rem contorquetur, eam fortè
ob cauſam, ut diuturniore
mora, ſanguis in longo, & fle-
xuoſo itinere, magis elabore-
tur, quemadmodum in uiro-
rum prǽcipuè teſtibus, pro ſe-
minis generatione accidere
uidemus, quòd tamē in ipſis
arterijs non cōſpicitur: recto
enim magis feruntur itinere,
quod ſcilicet puriſsimam ma-
teriam deferant, quàm remo-
rari nō oportuit, ut uitalis ſpi
ritus

ritus ſucceſsiuè pro fœtus ui-
ta conſeruanda influeret, quæ
quidem uaſa umbilici cum tã
neceſſario muneri famulen-
tur, duarum membranarum
ꝓpugnaculo munita fuerũt,
quibus inteſtinulum quoddã
efformatur, quod ab umbili-
co uſque ad ceruicem infantis
interdum aſcendit, eiq́; ſuſpẽ-
dit, ex altera parte ad implan-
tationem, uel eius extremum
deſcendens, quandoq; uerò
iuxta umbilicum in orbes, in-
teſtinorum modo conuoluit,
ut in eam uterini iecoris regio
nem, quæ non longè abeſt à
centro, perueniat.
Vaſa

Vaſa igitur hæc umbilica-
lia, poſtquam ad chorion mẽ-
branã delata fuerint, magnas
ramificationes per ipſam mẽ-
branam diſperſas uſq; ad cir-
cumferẽtiam, quã uterino ie-
cori connectitur, diſtribuunt:
inde poſtea, tàm à uenis, quã
ab arterijs, ad exteriorem eius
tunicæ partem, qua carni fun-
goſæ adnaſcitur, plurimi, ſed
minores rami trãſeunt, uarie-
què propagantur, ut per om-
nem uterini iecoris regionẽ,
admirabili textura ferantur;
ac plexum quendam reticula-
rem efforment, dum per car-
nem illam miris modis uſque
ad

ad tenuiſsima capillamēta diſcindantur: ita ut nullam eius carnis partem reperire liceat, quę tali non ſcateat ramorum ſerie, diligenterq́; intuenti, innumeras ocymi, uel thymi noſtratis radices in memoriam reuocent, quæ ſanè uaſa tam artificioſè diſtributa, inſenſibili quadam ratione, uitalem ſpiritum, & alimētum hauriunt, haud ſecus ac in plantis radices: in eundē enim uſum quodammodo ſunt comparata, in quem meſaraicæ uenæ & arteriæ.

Quæ ſunt igitur in utero uaſa, prius ſanguinem, & ſpiri

D tus,

tus, in iecur illud continuò effundũt, qui ab umbilicalium radicibus elicitur, inde per uenas ad iecoris pueri ſedẽ ſanguis defertur, ut ex omnibus primum iecur generetur, ac uitam plantę inprimis iuxta Galen. placita uiuat: arteriæ uerò puriorem, & ſpirituoſum haurientes, ad cordis locum iam membranis, & fibris circumſcriptum, arterijsq́ proprijs, & inſtrumentis ſeminalibus præditum, deferunt, ut ex eo carnea illius uiſceris, in quo uitæ fons reſidet, ſubſtantia adgeneretur, & iam animantis uitam uiuere incipiat, uel dicamus

mus (quod quidem magis rationi uidebitur conſentaneũ) eodem tempore ad cor per arterias, ad iecur per uenas, ferri pro generatione materiã, cui ſententiæ Galen. aſſenſiſſe uidetur. Cerebrum uerò tertiũ principium, ut idem loco citato habet, ex ſolo ſemine procreatur, ex perfectiori nimirũ & puriori materia, ut quod ratiocinatricis animæ, ut Plato uoluit, & mentis ſedes erat futurum, in quo tot admirabiles, & uerè diuinæ operationes perficiũtur, & ſenſoria, uiſus p̃cipuè, & auditus, ut inde ſatis perſpicuum, euadat, ad *Lib. primo de Semine.*

eius conformationem purio-
ri materia opus fuiſſe, & cui
plus roboris, & uirium ineſ-
ſet, quàm in ſanguine, lubens-
que nunc prætereo perquire-
re an huic meritò primum for
mationis locũ adſcribere de-
beamus, cùm ad eius confor-
mationem materia ſeminalis,
quæ prius actu eſt, quàm ſan-
guis ad alia uiſcera efformanda
deferatur, præſtò ſit. Quòd
ad uaſorum umbilicalium
diſtributionem at-
tinet, ſic ha-
bet.

CA-

CAPVT IX.

DE VSV LONGITVDINIS *uaſorum umbilici.*

QVum nullum animalium genus tãta cum difficultate in lucem prodeat, quanta homo ipſe, cùm ob capitis inſignem magnitudinem, tùm ob ſphæricam eius formam, quòd brutis minimè accidit, eo quod minore capite prædita ſint in acutas maxillas abeunte, eam ob cauſam oportuit ſapientiſſimam naturam, humanę ſpeciei conſeruandæ maximè ſtudioſam, aliquid machinari, quod huic incommodo opitula-

Digitized by Google

tularetur, ac prouideret, cui rei, nec antiquorũ, nec recentiorum aliquis animum adhibuit, obſeruaſſent enim, illud in humano fœtu eſſe perpetuum, uaſa umbilicalia longiſſimè produci, antequam in uterinum iecur radices iaciant, quę quidem longitudo communem brachij menſurã plęrunq; ſuperat, quod cùm ita eſſe obſeruetur, ſciamusquè Deum Opt. Max. natura miniſtra, nihil niſi ſumma cum prouidentia moliri, affirmare neceſſe eſt, hanc longitudinẽ non ſolùm utilem: ſed etiam ſummè neceſſariã fuiſſe: ſatis

enim

112

enim fuerat tertia, uel quarta
eius longitudinis pars, (quē-
admodum in brutis, quæ ce-
lerrimè in lucem prodeunt)
ut ab umbilico ad proximum
uteri iecur radices diſtribue-
ret, ſed ea ratione talis requi-
rebatur longitudo, ut ſcilicet
puer iam abſolutus, in lucem-
qúe prodire properans, poſ-
ſet antea toto corpore egreſ-
ſus extrinſecum aërem inſpi-
rare, eoq́; frui, quàm ſpiritu de
ſtitueret̃, qui à matre per um-
bilicales arterias attrahitur, ꝙ
ut facilè fieri poſsit, uaſorum
longitudo patitur, quæ ſuis ra
dicibus adhuc uterino iecori

connexis, ſpiritum fœtui com-
municant, eo etiam manibus
obſtetricis, & gremio conten-
to: Si enim breuiora fuiſſent,
ſecundas ab utero prius ſepa-
rari fuiſſet neceſſarium, quàm
ipſe è muliebri ſinu prodijſ-
ſet: puero autem ſæpè accidit,
ob dictas cauſas, ut in ipſis a-
met locorum muliebrium an-
guſtijs aliquot horas, & dies
etiam aliquando immoretur,
uiuat tamen & nutriatur, um-
bilicalium uaſorum utero cõ-
nexorum interuentu: perijſſet
enim neceſſariò tali lõgitudi-
ne deſtitutus, ſecundis ab ute
ro ſeparatis. Eã fortè ob cau-
ſam

ſam Diuinus Hippocr. hanc noſtram obſeruationem quaſi innuens dicebat (muliere ęgrè pariente, ſi puer in genitalibus locis hęreat, & non facilè exeat, ſed cũ labore, & Medici machinamentis, tales pueri modicæ uitæ ſunt, horũ umbilicum ſecare non oportet, priuſquam mingant, ſternutent, aut uociferentur, ſed ſinendi ſunt, & mulier proxima apud puerũ permaneat, &c.) uaſa eadem in brutis, quamuis homine maiore corporis mole prędit is, ut equo, & boue, ab umbilico ad ramificationem ulnæ longitudinẽ uix

Li. de ſuperfœtation. circa principium.

 ſupe-

ſuperant, eò quod celerrimè, ob prominentes in acutū maxillas, & paruum caput in lucem properent, & ſecundas, quibus obuoluebātur ſecum adferant, longiore ob id umbilico non indiguerunt. Adde quod membranæ puerum induentes, eiuſdem longitudinis beneficio utero connexæ, non eidem circumuolutę, uel uteri oſculo inhærentes, dum fœtus egreditur, nullam ei moram adferunt. Sed hæc de longitudinis umbilici uſu dicta ſufficiant.

CA-

CAPVT X.

DE MEMBRANIS FOETUM OBUOLUENTIBUS.

HVmanum fœtum in utero duę tantū mēbranæ obuoluūt, cū allantoides dicta in ſolis quadrupedibus reperiatˀ, de quarum quidem membranarum origine cū pauca ſcriptis hucuſq; tradita ſint, quæ uerum illarum exortum explicent, cogor longiorem ſermonem inſtituere, & ſenſui manifeſta in medium proponere, ſi prius tamen dixero Gal. in ſuis ſcriptis harum hiſtoriam à brutis deſumpſiſſe, ouibus præſertim,

Digitized by Google

tim, ac bobus, humanum ueró uterum prægnantem minimè introſpexiſſe: quo enim præditus erat ingenio, nihil à rei ipſius ueritate aberraſſet.

De harum tamen origine ſcripſit, ita eas generari, ſicut cruſta in bellarijs, & placentis, ab ignis calore in ſuperficie excitatur, quaſi nulli ſubiectarum partium adhærerent, & continuarentur, ſed ſolummodò cruſtulæ, uel ueſicæ in modũ ſuperficiem fœtus circumdarent, concreſcente ſeminis ſuperficie, & in mẽbranas abeunte, quemadmodum in ſteatomatibus, alijsq́ huiuſ-

Lib. primo de Semine.

115

huiuſcemodi abſceſsibus fieri conſpicimus, concreſcente uiſcidi humoris ſuperficie, & in membraneam ſubſtantiam degenerante. Quòd igitur ex ſemine Chorion, & Amnion, membranæ generentur, rectè ſcriptum eſt, qua uerò ratione progrediantur, & quibus partibus ſint continuæ, quarumúe ſint ſoboles, hucuſque non uideo obſeruatũ: quapropter præſuppoſitis, quę doctè fuère ab alijs explicata, quod prętermiſſum uidetur, ſtudioſeq́ à me ſæpius obſeruatum eſt, idipſum patefaciam.

Vmbilicalia uaſa cùm ab infante

ſante extra umbilicum prodeunt, non erat tutum, neq; ſapientiſsimæ naturę conſuetum, ea denudata, & ſine aliquo propugnaculo, longo itineri committere, cùm muneri adeò neceſſario famulentur, ſed ut ad locum deſtinatum tutò peruenire poſſent, duplici eadẽ tunica donauit, ut ex ambabus inteſtinulum quoddam efformaretur, per quod umbilicalia, ad dictam implantationẽ, munita peruenirent, quemadmodum in ſeminalibus uaſis accidit, quæ cùm à uentris amplitudine ad teſtes iter faciũt, membranam, qua obuoluantur,

tur, munianturq́ à peritonęo recipiunt, quę tandem dilata- ta teſtem undequaq́ amplecti tur, impropriamque illi tuni- cam offert, quam erytroidem, uel elytroidē appellauêre, ſed de his hactenus, ut ad rē de- ueniam. Harum membrana- rum altera, quæ uaſa umbilici immediatè complectitur, in- fantis peritonęi eſt ſoboles, ei eſt continua, ab eodemq́ ex- oriri conſpicitur, altera uerò exterior, à carnoſa membrana principium, & continuā ſub- ſtantiam habet, nulliq́ alteri parti, pręterquam huic conti- nua reperitur, harum utraq́

per uniuerſam umbilicalium longitudinē producitur, mutuoq́; & ualido connexu, & mucore quodã inuicem conglutinatæ progrediuntur, donec ad uteri iecur deuenerint; uaſaq́; diſtribui, & ramificari per uterinum iecur incœperint, quo fine adepto, quaſi cũ uaſis ipſis ſuo munere ſint fũctæ, ad reliquum uſum perficiendum ſe conuertunt: in miram enim amplitudinem dilatatæ, tenuiores tamen effectę, amplæ cuiuſdã ueſicæ in modum toti geniturae, uel fœtui inuolucrum præbent, recurrereq́; ſimul conſpiciuntur, in

quo

quo quidem recurſu, & inuer ſione contingit, ut uicem, & faciem mutent.

Nam ea, quã carnoſæ membranæ continuari diximus, & uaſa extrinſecus circumuolue re, fit ipſi fœtui proxima, & immediata, in eamq́ degenerat membranam, quæ amnios dicit: altera uerò ualidior, quàm peritonæi diximus eſſe ſobolem, uaſaque immediatè amplexari, amnion dictã obducit, eiq́ uniuerſæ circumponitur, oualem figuram ſimul ambæ efformantes, internæque uteri amplitudini correſpondentes, poſtremam hanc

chorion cum alĳs appellabi-
mus, quamuis non eadem ra-
tione, qua in brutis uaſa ꝑ to-
tam amplitudinem diſtributa
habeat, ſed in eam tãtummo-
dò huius membranæ partem
ſunt diſperſa, quæ ualido ne-
xu uterino iecori adhæreſcit,
ad robur ſcilicet, & ſecuritatẽ,
ramorum per eam circumfe-
rentiam (ut diximus) multipli
ci ſerie diſtributorum: huius
enim dũtaxat chorĳ interuen
tu, & connexu, ſecundæ ieco-
ris carni adhærent, per reli-
quum uerò harum membra-
narum ambitum, uaſa quædã
tenuiſsima diſcurrunt, ipſarũ
tan-

118

tãtummodò nutritioni famu-lantia, chorij tamen extima ſu-perficies, qua uterino iecori non adhæret, ſed utero eſt cõ-tigua, expanſam habet gluti-nis modò tenuem ſubſtantiã carneam, quę ex iecoris uteri-ni circumferentia originẽ ha-bet, ut toti utero facilius hæ-reat, & agglutinet. Inter iſtas duas mẽbranas ſunt, qui exi-ſtiment pueri urinam colligi, quæ partum pro locorum hu-mectatione præcedere ſolet, cùm tamen qua uia eo perue-niat, non rectè declarẽt, quod ſcilicet præſupponant in hu-mano fœtu eſſe uracum, ſicut

in brutis, qui urinam inter am bas deferat, cùm tamẽ (ut ſuo loco declarabimus) ſatis conſtet humanam ueſicam uraco deſtitutam eſſe, quo ductu excepto nulla uia relinquit, qua eò deferri poſsit: & quamuis alias hoc idem cum alijs credi derim : pro comperto tamen nunc habeo urinam pueri per pudendum excerni, amnioq; contineri. Nec obſtat acrimo nia, quæ in ea uel exigua, uel nulla eſt, quod dulci admodũ ſanguine nutriatur, multoq; humido abũdet. Adde quòd ſi quid eſſet in ea acrimoniæ, pingue illud, quòd ueluti bu-

tyrum

tyrum toti cutis ſuperficiei ob ducitur, id facilè retunderet. Quod uerò ad odorem attinet, cùm fœtus aërem prætérquam per umbilicum non inſpiret, odoratus ipſe affici nõ poteſt. Præterea craſſa etiam excrementa in inteſtinis pueri collecta, nec corrumpũtur, neq; malis uaporibus præcipua membra inficiunt. Ad hæc ex Galen. habetur quod interior hæc membrana ſudórem contineat, qui nihil aliud eſt, quàm excrementum urinæ ſimile. Sed de his ſatis. *Primo de Semine.*

Amnios membrana à chorio undiq; leui negotio ſepa-

 rari

rari poteſt uſq; ad uaſorũ umbilicalium primas diſtributiones. Chorion uerò ab utero magna ex parte facilè ſeparatur, ſed uterino iecori ualido nexu unà cum uaſorum diſtributione ita cohæret, & connectitur, ut nullo modo ab illis ſine ſectione diuidi poſsit, quod ſummo artificio factũ eſſe conſtat: ne ſcilicet uaſorum radices, molliuſculæ carni infixæ, à loco ſibi à natura deſtinato, omninò recederent, ſed ſuis ſedibus firmiter inhærerent.

Hãc multiplicem uaſorum texturam, chorion quidã appellauêre, nõnulli uerò totam

120
membranam, quam quidem chorij nomine non ineptè ap pellabimus, quamuis per totam eius circumferentiam, ut in brutis, uaſa minimè diſperſa habeat, illius tamen ſuprema pars, quæ carni connectitur maximis eſt prædita diſtributionibus. Hęc autem membranæ pars, quę uaſorum robori per iecur uterinum diſtributorum eſt deſtinata, eidem carni altera ex parte propria, quaſi membrana atque indumentum euadit, ut inter hanc, & uterum, media ſit repoſita. Tũ poſtremò uſum duę membranæ, quæ uaſa ab umbili-

co ad extremum uſq; comitantur, & muniunt, præbere ſatis perſpicuum eſſe poteſt, ut earum robore ſecurius (puero iam in lucem edito) ſecundæ, hoc ueluti ualido funiculo attractæ, ab utero extrahi poſſint, abſq; umbilicalium uaſorum diuulſione. Sed de membranis ſic habet.

CAPVT XI.

DE VRACO.

Meatus quidam à ueſicæ fundo exoriens, per mediumq; uaſorum umbilicalium iter faciẽs, inſtar ureteris cuiuſdam, unà cum

Digitized by Google

121

cum uena, in brutorum fœtu umbilicum egreditur, ſimulq́ꝫ cum ijs iter facit, quouſque ad ramificationem uaſa peruene rint, quo quidẽ in loco in mira ram uracus amplitudinem ex panditur, & in duo quaſi inteſtina cœca, uel grandia cornua deſinit, quę duarum ueſicarũ inſtar, quæ oblonga ſint figura prędıtæ, urinam fœtus continẽt, hanc allantoidis nomine antiqui iure optimo do narunt, cuius hiſtoriam, & reliquarũ, quæ fœtui utero contento famulãtur membranarum, optime deſcripſit Galen. locis iã citatis, ſi tamen in qua

drupedibus eam perquira-
mus, oue præſertim & capra.
Sed cũ in homine nullus mea-
tus urinarius à ueſicæ fundo
exoriens reperiatur, qui uri-
nam per umbilicum, ut in bru-
tis excernat, ſequitur etiã ne-
ceſſariò allantoidem in homi-
ne non reperiri, quæ nihil a-
liud eſt, quã uracus dilatatus,
quo deficiente, neceſſe eſt uri-
nam per naturales uias (ut in
editis) excerni, intraq́ amni-
on membranã colligi: quod
uterum prægnantis mulieris
aperienti, ſi mediocrem dili-
gentiam adhibuerit, facilè in-
noteſcet.

Sed

122

Sed quoniã obijcere quiſpiam poſſet, reperiri quendã funiculum, qui à ueſicæ humani fœtus fundo exoriens, ad umbilicum ferè uſq; protenditur: idcircò animaduertant neruoſam hanc ſubſtantiam nullò modo eſſe peruiam, neque acus etiam tenuiſsimæ aciem, ab interna ueſica admittere, ſicut in multò minoribus homine fœtibus allantoidem habentibus, in quibus ita patens eſt uia, ut ſpecillum facilè admittat, illud autem mea ſententia, quod in humana ueſica canalis, uel uraci quandã effigiem præſeferre uidetur, nihil aliud

aliud eſt, quàm ueſicę ligamẽ-
tum, quod ſua baſi latiuſcu-
lum exiſtens, ſenſim ſubulę in
modum attenuatur; adeò, ut
cùm ad umbilicum peruene-
rit, euaneſcat, & in nihilũ abe-
at, nulla interim cauitate præ-
ditum, ſed eius tantùm (ut re-
or) gratia, ut ueſicam perito-
næo colliget, eamq́ue ſuſtineat,
ne cum urina diſtenta fuerit,
eius ceruicem, ſubiectas-
que partes com-
primat.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

DE SITV FOETVS in utero.

Quamuis de poſitu ipſius fœtus in utero, nihil quod perpetuum ſit determinare liceat, & ob id hac in re aliâs ſatis dubius fuerim: dicam tamen quod, & ratio, & autoritas ſuadent, experientiaq́ ipſa iam ſępius à me comprobatũ fuit. Ratio etenim illud expoſcere uidetur, quod à ſapientiſsima natura ea ſedes ſit aſsignata, quæ omniũ maximè opportuna, & proportionata exiſtat: idcircò cũ

uterus

uterus ouali forma ſit prædi-
tus, eiusq́ ſuprema pars cæ-
teris ſit capacior, ut quæ ad
ſphæricam formam magis ac-
cedit, capiti continendo eam
deſtinauit, eius etenim circum
ferentia, ut reliquis membris
minimè proportionata, toti-
us corporis partium ambitũ
ſuperat. Quod uerò ad auto-
Primo de ritatem attinet, Galen. cui plu
Semine. rimùm tribuendum eſt, de ce-
rebri, cordis, & iecoris con-
formatione uerba faciens, ſic
habet: (quod neruorũ prin-
cipium futurum eſt, quod ce-
rebrum appellamus, in ſubli-
miori ſede conſtitutum, cor
inferius

inferius, inde iecur ſubiectũ.) uſus denique & experientia ipſa non raro mihi oculis ſubiecerunt, infantis caput in elatiori uteri parte contineri, brachijsq́;, ac tibijs, contractis: ita collocari, ut genua cubitis ſint proxima, manus manui ſuperpoſita, tibiaq́; altera alteri ſubijciatur, pedesq́; intorſum: ita ſint reflexi, ut plantis clunes attingãt, quo fit, ut recens nati, tibias tantiſper introrſum flexas, pedesq́; maximè ad interiora incuruatos habeant, quod deligatione, ob partium molliciem facilè corrigitur.

Poſtre-

Poſtremò ea eſt membro-rum, ſi fœtus ſecundùm natu-ram ſe habeat, poſitio, & figu-ra, quæ minùs omnium ſpacij occupet, & in qua nihil inane, & otioſum relinquatur. Et quamuis habẽtes in utero fre quenter ſecuerim, in quibus reperi pueros capite ad orifi-cium uteri conuerſo, id tamẽ, reipſa diligenter conſiderata, accidiſſe exiſtimo, quod infan tes ob matris ægritudinẽ, uel aliud quoduis incommodũ, tãquam abortiui, ut in lucem prodirent, in caput ſe conuer-tiſſent, uel proprio ponde-re iam mortui in inferiorem par-

125

partem fuiſſent delati.

Addo inſuper quod illarũ quædam inter pariendũ abierant, quas ea ſpe aperire rogatus acceſsi, ut fœtus adhuc uiuens extraheretur, in quibus eodem modo caput deorſum inclinare reperi, atq; nonnunquam accidit, ut, Deo Opt. Max. adiuuãte, fœtus baptiſmatis ſacramẽto inſigniri potuerit.

Aliquando etiam, ut in ea, quæ ſectioni publicæ 1565. expoſita fuerat, fœtum in utero ita duplicatum inueni, ut non ſolum caput in fundo repoſitum eſſet, ſed etiam pedũ

alter capiti inniteret, toto penè corpore duplicato, ut clunibus uteri orificium contingeret, quam figuram ubi pueri habuerint, à prima ſeminis formatione id contigiſſe exiſtimandum eſt, tùm propter uteri anguſtiam, in primis præſertim cõceptibus, tum etiam propter ſeminis iniecti quantitatem, quod quidem cum in anguſtijs locorũ nequeat per longum diſpenſari, in orbem quodammodo genitura conuoluitur, duplicatumq́ efformat fœtum, non aliter quàm ſi pictor excellens, intra anguſtum aliquod ſpacium, maiorem

rem

126

rem ipſo imaginem delineare
conetur, eam duplicatam, ac
in ſeipſam contractam, refle-
xis artubus effingere ſolet: q-
bus tamẽ mulieribus accide-
rit, ut à prima conformatio-
ne, uel in ipſo partu duplice-
tur fœtus, in clunesq́ prodire
incipiat, partum illæ maximè
difficilem, & qui diſcrimine
non uacet, experiri ſolent, ma-
nusq́ opera, & Medici machi
namentis plerunque indigẽt,
quod ego aliquando, diuino
adiutus auxilio, ſum conſecu-
tus, mulieresq́ ob difficilem
partum grauiſsimis ſympto-
matibus affectas, & ob uteri

prẹſocationem, iam intermo-
rientes, interdumq́; etiam ip-
ſos fœtus ſeruauerim.

Puer itaq́; perfectionem a-
deptus, cùm iam alimentum,
quod à matre ſuggerebatur,
ipſi non ſufficiat, locorumq́ue
anguſtia, & ſuo pondere in-
tus cõtineri diutiùs nequeat,
à ſuperiori in inferiorem par-
tem caput conuertit, ualidisq́;
interim motibus agitatur, qui
bus obuoluẽtes membranas
iuxta inferiorẽ præcipuè par-
tem diuellat, ſibiq́ue uiam ad
exitum paret, quo fit ut urina,
quam amnio ſub utraq; mem
brana contineri diximus, hi-
ante

ante uteri oſculo effluat, quod quidem orificium, non ſolùm paulatim dilatatur, ſed præ pondere deſcendens in muliebrem uſque ſinum pertingit. Vrina uerò ſeu ſeroſitas illa effluens duo præcipua adfert commoda, alterum quod uteri orificium, & muliebria loca laxiora reddat, ut facilè dilatari queant, fœtuiq́ in lucē prodituro uiam præbeant, alterum uerò, ut illa uteri pars, in qua urina cōtinebatur, maius ſpacium puero relinquat, ut ſe in caput conuertere facilius poſsit, non deſunt tamen plærique, qui membranis ad-

huc integris, clauſoq; utero, nulla antea egreſſa humiditate, ad uteri orificium caput inclinent, minoriq; hi negocio in lucem prodeunt, quàm illi quibus multò antea urina effluxit; nam loca muliebria exiccantur, ſi aliquandiu huiuſmodi humiditate fuerint deſtituta. Sed hæc dicta ſufficiant.

CAPVT XIII.

DE EXCREMENTIS FOETUS UTERO CONTENTI.

Lib. primo de Semine.

GAlenus, de excremẽtis utero contenti animalis uerba faciens, „ dicebat (neceſſe quippe erat ut con-

ut con-

ut concepto animali, tot & talia excrementa exiſterẽt, quot ac qualia; fieri abſoluto iam à uulua fœtui, conſueuerunt, ac cùm membra omnia formata ac diſtincta iam ſunt, non tam urina, quàm ſtercus: ſtatim uerò à principio è toto fœtu exhalat uapor, qui ſudori perfecti animalis proportione reſpondet) hæc ille, quam Gal. autoritatem ſenſus ipſe comprobat: nam urina, & ſudor amnio, in inteſtinis uerò, fæces craſſæ continentur, qua tamen uia ad inteſtina perueniant, nemo eſt (quod ſciam) q ſcripſerit. Quomodo autem

res ſe habeat paucis explica-
bo. Sanguis à uenis uteri dela
tus, multa (ut dictũ eſt) ſero-
ſitate, ad uehiculũ abundans,
ad raram uteri ſubſtantiam
peruenit, uterinię́ iecoris car
ni fungoſæ offertur, ut aliquã
in ea coctionem acquirat, pu-
riores inde partes à uenarum
umbilicalium radicibus attra
huntur, poſtea per umbilica-
lem uenam ad portæ infantis
truncum, tanquam ad ſuum
principium defertur, à quo in
iecoris pueri carnẽ diſtribui-
tur, eoq́ ipſi infanti iam ſimili
ab epatis uirtute effecto, eius
puriorem partem caua attra-
hit,

hit,ut in omnem corporis re-
gionem alimentum diſpenſe-
tur , craſsior uerò ad lienem
per ſuum uas defertur,bilis in
cyſtim reponitur, quod uerò
reliquum eſt, ueluti iam penè
excrementum , per portæ ra-
mos,meſaraicas ſcilicet dictas
uenas,expellitur,quicquid au
tem in eo boni ſucci reperi-
tur, in inteſtinorum alimen-
tum abit, idem de ſanguine
per arterias meſenterij dela-
to,intelligere licet. Quod ue-
rò penitus excrementum eſt,
ut quædam ſanguinis fex, eo-
rũdem uaſorum oſcula in in-
ternum inteſtinorum ſpatium

hiantia, effunditur, ibiq; colligitur, donec infans in lucem prodierit, nihilq; interim inteſtinis incõmodi adfert, quãuis heminæ menſuram plærunque ſuperet, quo fit ut nuper editi, priusquam aliquid ore ſumant, multa egerant nigra, ſanguinis ſcilicet, quo in utero nutriuntur inutilem portionem, de fœtus excrementis ſic habet.

CA-

CAPVT XIIII.

DE VASORVM CORDIS & iecoris coniunctione.

QVód cordis uaſa aorta ſcilicet uenæ arteriali, & uena caua arteriæ uenali coniungãtur, Galen. optimè declarauit, ſæpiusque ipſe publicè, in humano, & brutorum fœtu manifeſtè omnium oculis ſubieci, ſed cùm ab ipſo non ita perſpicuè deſcripta fuerint, ut facilè à minus exercitatis intelligi poſſent, ad eius ſententiæ explicationem, pauca quædam addere conſtitui. *Sexto de uſu part. ca. 15. & 20. eiuſdē cap. ſexto.*

Quum poſt cordis, & iecoris

ris conformationem in fœtu, reliqua etiam uiſcera conformanda eſſent, idcircò opus fuit, pulmonibus efformandis, tum uenoſum, tum ſpirituoſum ſanguinem per inſtrumenta ſubminiſtrari, ſed cùm interim cordis dexter ſinus, pulmõnesq́ue ipſi, motu ſint deſtituti, per dextrum ſinum ſanguis à caua attrahi minimè poterat, indeq́ue per uenam arterialem in pulmones deferri, ut in ĳs, qui in lucem iam prodierunt, eam ob cauſam oportuit per aliud uas (arteriam ſcilicet uenalem) ab ipſa caua pulmonibus ſangui-

nem

nem impertiri, nam caua ue-
na ex ipſius parte inferiori ad
ſiniſtram uergente inſigni fo-
ramine, uel anaſtomoſi in ar-
teriam uenalem ſibi ſubiectã,
& attiguam, eſt peruia, cuius
forma quartam circuli par-
tem repræſentat, ut per illud
oſtiolum, ſanguis ad pulmo-
nes efformandos, & nutrien-
dos, deferatur, quo fit ut arte-
ria hæc uenalis, uenæ priùs,
quàm arteriæ officio funga-
tur, quæ quidem duorum ua-
ſorum coniunctio, quamuis
ſit admirabilis, admirabilior
tamen eſt eiuſdem anaſtomo-
ſis paucos poſt dies ab ortu
unio

unio & coalitus, quamuis interim in natu etiam grandioribus agglutinationis eius ueſtigium aliquod ſemper relinquatur, idcircò nihil mirum uideri debet, pulmones diuerſa ſubſtantia, & colore prędictos eſſe, quòd interim quieſcant, & diuerſimodè nutriantur, ſanguine ſcilicet minimè præparato, & à cordis calore dextri ſinus interuētu nequaquam alterato, & puriore effecto. Quum autem arteria uenalis uenę pręſtaret officium, neceſſarium fuit aliud uas per pulmonem diſperſum, uenã nimirum arterialem, arteriæ

uſum

uſum ſubire, ut pulmonibus præter uenoſum, ſpirituoſus etiam ſanguis communicaretur, eam ob cauſam machinata eſt admirabilis natura canalem quendam admodum inſignem, qui arteriam magnã, iam ad iugulum aſcẽdentem, obliquo ductu, uenæ arteriali coniungit atq; continuat, ut ſpirituoſi ſanguinis copiam, quamdiu fœtus utero continetur, pulmones ſuſcipiant.

Hic idem canalis, ſeu ductus, quamuis eadem, qua magna arteria, uenaq; arterialis, ſit ſubſtantia neruoſa præditus: inexplicabili tamen quodam

dam modo paulò pòſt quàm in lucem editi fuerimus, nihil impediente motu continuo; atq; neruoſa eius ſubſtantia, agglutinatur, occœcatur, imperuiusq; euadit, quemadmodum de uenæ cauæ in arteriam uenalem anaſtomoſi antea diximus: relinquitur tamẽ & huius coalitus, quemadmodum & alterius ueſtigiũ, nulla cauitate præditum.

Illud poſtremò in huius canalis exortu obſeruatione dignum eſt, quòd interdum magis propè cordis baſin reperiatur, aliquando uerò longius abſit.

Ob-

Obſeruatione inſuper digna uidetur coniunctio altera, quæ in iecore fit, portæ ſcilicet cum caua uena, quæ fœtui tantum, dum in utero continetur, uſum præbet, cũ alioquin portæ, & cauæ rami in iecore attigui, rara tunica præditi, & perforati reperiantur, ut alibi Deo uolente, dicturi ſumus. Fit autem duorum ramorũ, qui ſatis inſignes ſunt: altero ex porta, è directo explantationis uenæ umbilicalis exoriente: altero ex caua, in iecoris ſubſtantia continuatio: ut ſi ſpecillum in umbilicalem immiſeris, inde in portæ

tæ

tæ truncum, dein, dictæ con-
tinuationis ratione, rectà in
cauam peruenies.

Horum inſtrumentorũ ſin-
gula, poſtquam in lucem ani-
mal prodierit, tanquam ſuo
munere functa, & puero nul-
lo uſui futura, imperuia atque
inutilia redduntur. Cordis igi
tur uaſorum unio aboletur,
quę in iecore fit exiccatur, um
bilicalia pariter uaſa, neq; ſan-
guinem, neque ſpiritus defe-
runt, ſed funiculorum in mo-
dum, ſolida effecta concreſ-
cunt, tantumq; abeſt ut unà
cum alijs partibus augmen-
tum recipiãt: uerùm minuun-
tur

134

tur potius, ac penè obliterantur. Sed hæc de fœtus humani Hiſtoria ad laudem Omnipotentis Dei compendioſè dicta ſufficiant.

F I N I S.

Inq. Bononienſ. 11. Martij, anno 79. Nic. Vicar.

B A S I L E Æ,

PER SEBASTIANVM HENRIC-PETRI, ANNO AB INSTAVRATA SALVTE NOSTRA PER CHRISTVM, CIↃ. IↃ. LXXIX. MENSE AVGVSTO.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE